



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 36. De quæstione, cuius demno pereat, aut deterioreetur res in
commodato,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

tex legis. Secunda est, ut commodatarius teneatur commodatum restituere tempore prefissuto, ex eadem lege, §. Rem tibi, & ex lege De restituendis, Cod. De commodato. Tertia est, ut eamdem rem numero restitueret teneatur, ea enim est aliena: cum in ipsius non sit translatum illius dominium, sed tantum vius, iuxta antedicta num. 468. in fine. Quod fit, ut in iusto domino retineri non possit. Quarta, ut teneatur rem commodatam restituere, non factam deteriorem dolo, aut culpa sua ex lege Eum qui, & lege In rebus, §. Sive autem, ff. Commodati. Quinta est, ut teneatur rem commodatam seruare eadem cura & diligentia, qua res suas, ex cit. lege Si ut certo, §. Quod vero senectute:

472.

Quod attinet ad actiones quae ex commodato oriuntur, commodanti, & hereditibus ipsius competit, ut cogere possit commodatarium, & heredes ipsius, restituere rem tamdem numero, si que ea sit facta deterior, praestare eidem commodanti, quod interest, sive item si conuentum sit inter contrahentes, ut res certo loco & tempore redderetur; compellere possit commodatarium tale pacrum seruare: aut aliqui qui damnum soluere, ex lege Si ut certo, in principio ff. Commodati. Commodatario vero competit, ut ipse, vel haeres ipsius possit iure petere restituti sibi totum damnum quod passus est ex eo quod res commodata, sit ei ablata ante illius vius expletum. Item petere sibi solui expensas quas in re commodata curanda, vel reficienda maiores fecerit, necessario factas, ex lege In rebus, §. Posseunt, ff. Commodati. Ac demum petere, ut commodans resarciat damnum, si scienter rem vitiosam commodauerit, ex ead. lege §. Item.

C A P V T XXXVI.

De questione, cuius damno pereat, aut deterioretur res in commodato.

S V M M A R I V M.

473. Proposita ad questionis propriae explicationem.

474. De qua cul a commodatarius teneatur.

475. Quatenus commodatarius teneatur de casu fortuito.

476. Ad quid teneatur qui res proprias preferit coimodatate hęc que ideo audi sumperit.

477. Cui pereat commodatum, dum perit in manu tertii, per quem remittitur.

478. Quis rem precario accepit, si ap:reat, teneatur de dolo tantum, & la:ca:pa.

473.

P R E N O T A N D U M est, commodatum, eti plerumque fiat tantum in bonum commodatarij; aliquando tamen fieri in bonum tantum commodantis, & aliquando in bonum vtriusque. Deinde tria esse propter quæ censeri possit commodatarius teneri rei commodata iacturam resarcire, si ea pereat, vel deterioretur; nempe dolum, culpam, & casum fortuitum, de quibus satis multis egimus in præced. cap. 8. atque culpam esse triplicem, latam, leuem, & leuissimam, quarum definitiones tradidimus lib. 10. cap. 1. num. 18. Denique, ut Sylva Bartholo habet in verbo commodatum, sub finem, quosdam esse casus, qui de facili non accipiunt sine culpa, ut incendium, vel furtum in proprio domo: quosdam vero, qui ut plurimum accidunt sine culpa, ut incursum hostium. In hisque præsumit culpam absesse, non item in illis: ita ut commodatario incombatur probare in eis casum fortuitum, in aliis non incumbat.

474.

Q V I B V S P O S I T I S, sequentes conclusiones ad propositorum questionis explicationem statuuntur. Prima, si commodatum fiat in gratia tantum commodanti, ut cum sponsus commodat sponse ornamenti, ut ad eum accedit ornatio, commodatarium non nisi de dolo, aut culpa lata, que dolo equiparatur, teneri, iuxta legem Si ut certo, §. Sed interdum, ff. Commodati. Si tantum in gratiam ipsiusmet commodatarii, teneri de dolo, & omni culpa etiam leuissima, per Cap. vnicum De commodato. Si denique in gratiam tam commodantis quam commodatarii, ut si commodata sint vasa ad excipendum in hospitio communem amicum, vtriusque nomine, teneri eundem commodatarium de culpa latâ, & leui, non de leuissima, iuxta legem In rebus, ff. Commodati. Vide regulas in memo-

rato cap. I. consequenter traditas. Et aducere ista accipienda est, spectata contractus natura: quia si aliter conuentum sit, standum erit pacto, ex lege Contractus, ff. De regulis iuriis. Ideoque si commodatarius pacificatur, ut de dolo solummodo teneatur, quantumvis commodatum in ipsius tantum gratiam celebratum sit non erit ad aliquid compellendus, iuxta citatum §. Sed interdum. Quod si pactum fiat ne commodatarius damnum ex ipsius dolo proueniens soluere teneatur, tale pactum non erit ratum, iuxta legem In commodato, ff. Commodati, & citatam legem Contractus, quia id contra bonos mores est, & contra naturam commodati.

S E C U N D A conclusio est. Commodatarium non tenebit in casu fortuito, nisi contrarium deductum sit in pactum, iuxta legem primam, Cod. De commodato: aut nisi si vius sit re commodata aliter quam concessa sibi fuerit; aut denique nisi ex illius mora restitutus de talis casus cuenterit. Quæ omnia habentur in Cap. vnicum De commodato, & procedunt, quantumcumque res commodata tradita sit estimata; quia talis estimatio non sit ad transferendum omnem periculum in commodatarium, sed solum ut sciatur rei pretium, in casu quo res commodata ex toto, aut ex parte perierit. Quod si res commodata, eodem modo peritura erat, quantumcumque commodatarius non fuisset in mora, aut non fuisset realiter vius, quam sibi concessa erat: ipse idem commodatarius non tenebit ad illius restitutionem; sed solum ad satisfactionem & estimationis vius rei, ultra cum ad quem commodata fuit: aut etiam lucri quod forte domino eiusdem rei cessauerit, aut damni quod emiserit ob talen moram. Ratio est, quia commodatarius non tenetur plus eisdem domino, quam fuerit illi causa damni, ratione illius moræ, aut vius non concessi. Quando autem res eodem modo erat peritura suo domino, commodatarius non fuit causa cur in damnum eiusdem domini perierit,

T E R T I A conclusio est. Quod si commodatarius non possit simul seruare res proprias, & rem commodatam: illaque huic præferat, & sic fiat ut casu fortuito, ea ipsa pereat illis saluis: quod, inquam, ad restitutionem minime teneatur, si res sit commodata tantum in gratiam commodantis, vel in gratiam vtriusque: quandoquidem, ceteris paribus, quisque potest res proprias alienis præferre. teneatur autem, si commodata sit in gratiam tantum commodatarij: quia contentaneum est viis caueat, ne alter ex collato sibi beneficio detrimentum capiat. Quanquam si res propriæ essent longe pretiosiores, & digniores re commodata, non videbuntur tenehi hanc illius præferre: quia nemo tenetur subire damnum maius, ut auctor alterius damnum minus. Sed aduerte quod si in tum solius commodum rem habeas commodato, iacturam illius debetas tuac quoque que compensare quia illam petens in tum dunitaxat commodum, tacite obligata est ad illius conservationem diligenter: quod non obstat quidem, quin res tua eidem præferas, sed ita ut animum habeas compensandi desperitas: prout teneris fatem ex quadam gratitudine, quæ postulat ut tum benefactorem velis seruare, indemnum. Non vero ex iustitia, quæ patitur ut res suo domino pereat, non alteri, qui nullo modo sit in culpa, ut supponimus de commodatario in proposito casu. Pluribus hac de re agentem Molinam qui voleat videat in memorato tract. 2. disput. 297.

Q V A R T A conclusio, quam ipse Molina tractat in posteriori parte eiusdem disputationis, est. Commodatarium, si commodatarem remittit per seruum, vel tantum quem ad illud repetendum dominus miserat non teneri tenui-
tuere, si vel culpa, vel dolo eiusdem serui, aut non ei, vel casu fortuito perierit, ex lege Eum qui §. Sed eti, & lege Si mei causa, & lege Argumentum, ff. Cōmodati. Immo in vniuersitate si commodatarius non commisit culpam, quæ ex pacto, vel alia de causa vitare tenebatur, res quæ perit non ei, sed domino perit. Id enim communis est omnibus contractibus, in quibus dominum non transfert, ut notatum est à Panormi, ad Cap. Significante, nu. 8. De pignoribus, & à Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 185. Qui addunt secus sentendum esse, quoad contractus in quibus dominum transferatur, quales sunt y de quibus egimus ante. Nimirum, etiam si absque culpa villa, adeoque casu fortuito pereat res, pereat ipsi in-
tentio: non autem ei cui facienda est restitutio, prout confat ex me-

Et ita si quis ab aliquo qui pecuniam mutuo dedit ei, equum accipiat commodato ad redditum in parriam, à latronibus casu fortuito spoliatus fuerit, non tenebitur (nisi aliter contentum sit) damnum equi refarcire; pecuniam autem mutuo acceptam restituet. Ratio est, quia cum celebratus fuerit contractus commodati quoad equum: & inutui, quoad pecuniam: dominium equi non fuit translatum, ideoque damno commodantis perit, pecuniae vero mutuatae dominium translatum fuit in mutuatariū, & ideo illi perit, non mutuantur.

Ceterum si creditor (*ex quocunque contra tu ei debetur*) designasset aliquem, per quem debitum ei mitteretur; tunc si ipsum periret postquam eidem designato traditum esset, periret creditor: quod expresse quoad commodatum, habetur ex paulo ante citatis legibus. Secus est vero, si creditor mitteret nuntium ad debitorem, qui dicat ei ut commodatum remittat: non dicat autem vt per ipsum remittat. Nam tunc non magis excusabitur debitor ei tradens commodatum, si pereat ante quam venerit ad manus creditoris; quam si id tradidisset cunctumque extraneo. Et ratio est, quia nuncius ille solum fuit destinatus vt debitorem ipsum moneret, mittendum esse commodatum, non vero vt per eundem momentem mitteretur.

Sed quid si creditor conuenisset cum debitore, vt pecuniam quam ei deberet, mittat per aliquem qui gestet certum signum, & aliis id audiens, signum assument, pecuniamque petat, & cum ea fugiat, cuinam illa perficit? Respondendum est distinctione. Si enim debitor manifestauit illud, quod conuerat inter ipsum & creditorem; idque fuit occasio, vt alias dicta ratione fingeret, peribit debitor. Si vero creditor manifestauit, vel dum ambo inter se conuenirent, tertius præteriens, aut assilens illis, id audiuit, probabile est quod debeat perire creditor: quia taliter pacificando, ipso occasionem dedit, vt pecunia periret, fuitque contentus, videbimus sic solueretur.

QUINTA conclusio est, cum qui rem precario accepit, si ea pereat, aut deterioretur, tenaci non tantum de dolo (quod Sylvest. sensit in verbo *Commodatū* quæst. 8.) sed etiam de lata culpa, vt idem melius indicat in verbo *Precarium*, quæst. 2. secutus Panormi, ad cap. *Precarium*, n. 14. De precario. Et ita expresse habetur ex lege. Quæst. 8. Eum quoque, ff. De precario: vbi dicitur, dolo de quo teneatur si qui precario accepit, contineri culpam solo proximam: que quidem est lata culpa.

Quod si obicias, antea generaliter dictum esse in contratu qui solum sit in gratianis recipientis, ipsum recipientem teneret leui, & leuissima culpa. Respondetur, optimo iure exceptum esse precarium ab illa generali regula: quia licet ipsum sit in solum bonum recipientis, est tamen reuocabile pro nutu & arbitrio concedentis: qua causa sufficiens esse potest, cur habenti precarium imputetur solum dolus & lata culpa. Nam leuem culpam imputare sibi debet concedens precarium (cum illud potuerit libere reuocare quoties vellet,) & multo magis leuissimum, ac casum fortuitum. Ad uerte autem recipientem aliquid precario non teneri de casu fortuito, sidem exceptionibus esse restrainingendum, quibus antea in secunda conclusione habitum est restrainingendum esse simile dictum de accipiente commodato. Nam precarium species quædam est commodatio neque datur ratio: quod oporteat aliud de eo sentire hac ex parte, quam de ceteris commodatis.

C A P V T XXXVII.

De modo quo commodatum finitur.

S V M M A R I V M.

479 Non tenetur qui rem commodato accepit, eam reddere ante term. num si prefixum.

480 Quis precari uni concessit absolute, potest illud reuocare quanto ei placuerit.

481 Quatenus alter quam voluntate concedentis, condendum si precarium finiri.

482 Ad quas impensis rei commodata teneatur commodating.

483 Quatenus commodatarius possit rem sibi commod. tam: et tenere loco compensationis aliquius debiri.

484 Que accidit rei commodata, simul cum ea commoda dat a consentur.

485 Vbi res commodata restituenda sit, distinctione explicatur.

V M proprium dictum commodatum sit, quo res ad certum tempus commodatur, & in proprio dictum seu preclarum, quo res conceditur quandiu voluerit, is qui concessit (propter notarium in n. 478.) certum est illud finiti lapsum termini constituti, hoc vero voluntate eius qui rem concessit. Sed sunt quædam dubia quorum explicacionem subficerem oportet.

PRIMVM EST; an qui ad certum tempus expresse, vel tacite rem commodato accepit, teneatur ante idem tempus finitus exposcere commodante statim illam ei tradere? Ad quod respondendum est negari, quia commodatarius ex vi contractus, ius habet commodatum retinendi interim dum durat tempus ad quod concessum est; ex Cap. vnico, De commodato. Vnde si contra ipsius liberum consensum, commodans rem ei eripiat, iniustiam committet: tenebitur; ad interesse, & ad damnum inde subfecuta, iuxta legem In commodato. Sicut, ff. Cōmodati: Quod notans Angelus in verbo *Commo latum* n. 4. addit; quod si commodans simile detraheantur passus est, nisi antelapsum terminum rem commodatam habetur, tunc possit ea sine peccato sibi resumere. Sed Nauar. in En. bīr. c. 17. n. 182. existimat, quod esti ante commodatum factū possit quis re sua sibi prouidere, postquam tamen ipsum factum est, etiam si ex mera liberalitate processit, iam tale quid non esse ei licitum propter ius commodatio quæsiū per commodationem.

Quæ opinio plane videtur anteferenda, si commodans præuidenter, aut timuerit secuturum detrimentum, & nihilominus rem commodavit: tunc enim visus est liberaliter exponere ei periculum. Quinimo etiam si commodanti post traditam rem commodatam, gravis & inopinata necessitas superueniat, adhuc stare potest Nauari sententia: quoniam commodans, per traditionem rei commodata transiit: vñum illius in commodatarium, vnde reuocari non potest: sicut nec possit illius dominium, si per donationem facta traditione rei ipsum effet translatum. Non est tamen negandum, quin si commodanti inopinata, & vrgens occurat necessitas rei commodate antequam illam tradiderit, minime compellendus sit eam tradere, quantumcumque sequatur inde aliquod damnum ei cui promissa est, siq; promissa non est, aliunde sibi prouidest. t, damnumque vitafest. Nam promissio non extendit ultra mentem promittentis: fed in ea inest tacita cōditio, dummodo tempore ad impletionem non superuenerit talis mutatio rerum, quæ si prænoscatur, nullo modo promitteretur. Quod à Seneca notatum approbat D. Thomas 2. 2. quæst. 110. art 3. ad 5. Vide Luidouicum Molinam in memorato tract. 2. in posteriore parte disputationis 294.

SECUNDVM DVBLIVM EST; an res quæ commodato minus proprio, hoc est, precario datur, possit reuocari a commodante quotiescumque ei placuerit? Ad quod respondendum est, posse quidem absolute, vt ante attigimus: & patet ex lege 2. ff. De precario: cui consonat textus in cap. finali, De precariis. Idque procedit, ex Panor. ad id. in cap. 3. cōd. 4. & Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 15. in principio, etiam apolitū fuerit pactum de ea non reuocanda: quandoquidem tale pactum nullum est: vt pote contrarium natura precarii, & bonis moribus, cum non licet rem alienam possidere in uno domino, vt argumentat Celsus Iustis consultus lege Cum precario, ff. De precario. Ex istimandu tamen non est (vt eccl. ibid. docet Panormit. num. 13. Couar. nu. 6. itemque Angelus, & Sylv. in verbo *Precarium*) quod ita ad libitum concedentis reuocari possit precarium, vt in continentia faciat absque rationabili causa; & cum damno eius cui illud concessit. Nam concessio precarii est beneficium, quo iuuari oportet accipiente, non decipi. Quare si nulla in contrarium superuenerit causa rationabilis, aliquale tempus iudicio prudentis, ad vñum concedendum est ei qui rem precario acceptit. Quamquam si reuera dolus absit, nec vñum alteri oritur in commodum, cui ex charitate obuiandum sit; non videtur condemnandus ille, qui absque causa precarium ipsum statim reuocauerit, cum in eo vitatur iure suo.